

cunt, provocatio spectat, quod *civile vetus* vocatur. Referuntur ad alterum quae in cuncta Reipublicae ditione terra marique judicantur, si eamdem vim aureorum quingentorum superaverint. Hoc *civile novum* appellant. Tertium vero de iis cognoscit praecepue, quae crimina attingunt, ideoque capitale, vulgo *criminale* dicitur. Horum omnium conciliorum insignis est autoritas, atque in judicis exercendis integritas, & sapientia singularis. Reipublicae vero dignitatem, & majestatem excelfo throno, in quo consident sui cuiusque concilii praesides, quos *Capita* vocant, sententiarumque autoritate repraesentant. Contra eas namque, si ratae, atque ex legum praescripto latae fuerint, ne hiscere quidem cuiquam fas est; & quidquam sanctius, atque augustius in tota Reipublicae administratione vix existimatur. Hisce in conciliis, qui extra ordinem suffecti non fuerint in aliorum locum, biennium agere sumnum possunt, cum post octo menses *XLviri*, qui *civiles novi* vocantur, in *civile vetus* continuo transeant; tandemque post menses totidem *XLviri* capitales evadant. Hisce vero & Senatus ingrediendi, ac in eo ferebendi suffragii, quod *praeclarum in primis*, & *eximum* habetur, jus datur. Neque tamen haec ipsa concilia cuiquam quo minus alias ad magistratus provehatur, impedimento esse possunt, antequam in capitale concilium cooptetur.

*Andreas ergo primum (a) in civile vetus adscitus*, cum justi, & aequi tenax periculo facto ostendisset, se doctrina quidem, & facundia in paucissimis esse; virtute vero, & integritate supra ceteros eminere, octo dumtaxat mensibus elapsis, (b) *IIIvir Auditor novus* sententiarum renuntiatus est; honestissimum sane munus, & quod ego inter Reipublicae maxima haud iniuria posuerim. Etenim quicumque in Reipublicae provincia qualibet judicantur, ad *IIIviros Auditores novos* provocare possunt, sicuti ab urbanis magistratis ad *vices Auditores* totidem: quibus omnibus aut provocantem a se rejicere, aut adeundi suos *XLviro*s copiam facere est integrum. Cuicunque etiam est opus *Auditorum auxilium*, literas ab iis flagitat, facileque impetrat, per quas magistratis universis in provinciis mandant, quidquid justum, & legibus atque juri consentaneum videtur. Quod sicuti immensi, ac prope infiniti est operis; ita justum cum primis, & salutarem, sed prudentem, atque etiam peritum judicem requirit; idque eo magis, quod unius tantum sententia aut provocationem, aut literas ratas habet, quamvis alii collegae omnino dissentiant. Hoc sane in munere *Maurocenus* praecclare ostendit, neminem aut justius, quam gravem virum, aut prudentius, quam docum imperare posse. Etenim grato, ac pleno dignitatis aspectu summa aequitate jus dicere, tueri ab injurya infirmos; facile cuicunque, datis literis, opem ferre; facilis, ubi magistratui, ut solet, verba data congnosceret, auferre suffragium: uno verbo magistratum illum ita gerere, ut propter hoc ipsum valde celebre, & memorabile nomen ejusdem in foro adhuc vigeat.

Obtinuit etiam dignitates ex earum numero, quae annuos Reipublicae fructus curare consueverunt; quaeque ad publicas impensas facendas attributae sunt, ut nullum prorsus extiterit muneris in civitate genus, quod non obivisse, aut

(a) in *civile vetus adscitus*) Immo in *civile novum* adscitum fuisse invenio in *citatis comitiorum* commentariis.

(b) *IIIvir Auditor novus renuntiatus est*) Nimis anno 1584, postridie nonas jul.